

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Demosthenis Et Aeschinis, Principum Græciæ Oratorum Opera

Demosthenes

Aureliae Allobrogum, 1607

Vorwort des Übersetzers

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1565)



HIERONYMI VVOL-  
FII OETINGENSIS AD  
CANDIDVM LECTOREM IN  
VLPIANI CONVER-  
sionem Præfatio.



N, candide lector, alteram promissi laboris partem, Vlpianirhetoris x & viii orationum Demosthenis enarrationem, citius etiam quàm sum pollicitus: opus minus fortasse lectu iucundum, sed studiosis adolescentibus, vt mihi persuadeo, non inutile futurum. Quæ etiam causa fuit, vt molestissimum laborem hunc capere non sim grauatus, & summum deuorare tædium: quod quantum fuerit, ij demum intelligent, qui mendas Græci codicis, in singulis ferè paginis infinitas, obseruarint. Adhæc, ipsa commentariorum natura est talis, vt modica voluptatis illecebra laborem & defatigationem leuent interpretis, tametsi emendatissimi essent: & vt lectorem requirant, difficultatibus aliquibus intelligendi ipsius autoris conflictantem. Quæ res vna fere facit, vt quæ per se vtilia sunt, non modò citra fastidium, sed magna etiam cum auiditate legantur. Etsi autem non dubito, esse plurima tum grammatica, tum oratoria, quæ studiosus lector explicari sibi diligentius & copiosius, atque etiam dilucidius optet: non tamen abiiciendi videntur ij libri, qui cum multa vtilia contineant, quædam etiam superuacanea admiscet, quædam necessaria prætereunt. De quibus incommodis ego quoque in omni commentariorum genere mecum sapissimè queror: & tamen cum cogito, si mihi in eodem argumento versandum esset, me quoque præstiturum, fortasse non quod vellem, sed quod possem: veniam do, & boni consulo ea, quibus illi tradere meliora non potuerunt. Quanquam in hoc nostro enarratore iniuria temporum, & quorundam temeritas, qui in alienis libris vel mutilandis, vel augendis, vel ex diuersorum scriptis, variis quasi centonibus sarciendis, omnem licentiam sibi sumunt, maximam sustinere culpæ partem videtur. Sed in hoc, suo quisque iudicio fruatur. Me quidem Vlpianum legisse non pœnituit, propter & historias non nullas indicatas, & vocabula exposita, & artificium multis in locis eruditè, nisi fallor, explicatum. In conuertendo quidem magnos labores, & non paruas molestias cum cœperim, nescio tamen an fecerim operæ precium: non quòd ipsos commentarios aspernandos ducam (de quibus quid sentiam, exposui) sed quòd in iis tanta est difficultas interpreti, vt superari nulla ratione posse videatur. Pri-

mum enim exemplar ita deprauatum est, tum confusione distinctionum, & verbis Demosthenis ab Vlpiani explicatione nulla nota aut interuallo separatis: tum aut immutatis, aut additis, aut repetitis, aut omissis vocabulis, interdum etiam totis sententijs, vt affirmare non dubitem, me nullum vel in Græca vel in Latina lingua codicem vidisse peius tractatum. Deinde *ἔξηγήσεις*, quas enarrationes interpretari licet, videntur orationem requirere perpetuam, cuius hîc alicubi vestigia quædam apparent: vt existimem, vbi verba Demosthenis seorsim ponuntur, ibi ab aliquo librorum corruptore, & importunè studiose breuitatis, Vlpiani verba complura esse resecta, vt scholiorum faciem, non *ἔξηγήσεων* præ se ferant, atque assuta aliena. In connectendis quidem aliorum verbis magna est Græcorum felicitas, præter cætera vel in his duabus particulis, τὸ & δὲ, quibus ceu Delphico gladio vtuntur: cum eadem Latino sermone sine longis & molestis ambagibus explicari nulla ratione possint. Huc accedit vocabulorum maxima & copia & varietas, & longè alia quàm Latinorum ratio: cuius generis sunt, vt è multis pauca delibem, *κεφάλαιον, τὰ ἀπ' ἀρχῆς ἀρχὴ τέλους, σημεῖα, εἰκότα, τεμνίμα, ἀντίπλοον, ἀντίθεσις, ἀντιπροσφωρεὰ, σύγκρισις, ἀντιθέτασις, ὁμοθεσις, ἀντιὁμοθεσις, ἐπίθεσις, ἀντίθεσις, κενώσεις, προκτατάσις, ἐκφρασις, διασπασίη, διατύπωσις, ἰσοσιώπησις, ὑποσιώπησις, ἀναίρεσις, ἀπόσασις, ἀναξοπή, ἀξιοσπὴ, πηλικότης, ποσότης, μέγεθος, εἰσοδος, εἰσβολή, εἰσαγωγή, προκτασπασίη, πρεσβυτεία, προδιόριστοις, πωδρωμί, ἀειδερμὴ, συγχρόσις, σύσασις, ὀπίσθημα, ἀπὸδ εἴξις, ἔλεγχος, ἐιδύμημα, ἰόημα, ἐνοια,* & alia complura. nec enim omnia recensere institui. Iam quid facias in illis adiectiuis, *ἠθικόν, παθητικόν, πορευματικόν, προκτατάσικόν, σωεπικόν, ἀντισπικόν, ὀπιλορικόν, προσηματικόν ἀποσδιόρισον,* atque id genus alijs, quæ quomodo explicentur, nisi aut improprie, aut barbarè, aut longis verborum ambagibus, equidem non reperio: vt nihil dicam, ea præcepta artium, quæ sequutus est Vlpianus, ita abhorrere ab ea & Græcorum & Latinorum doctrina, quos hodie in scholis plerique sequuntur, vt sæpè difficile sit diuinare quid sibi velit. Hæc & huius generis alia incommoda cum attentius perpenderem, parum abfuit, quin totum Vlpianum desererem, ipsius Demosthenis conuersione contentus. Sed quum aliorum complurium editos in Demosthenem commentarios, qui sæpe in hoc opere citantur: cuiusmodi sunt Apfinis Genethlij, Aesculapij, Alexandri, Diocori, Zenonis, Aspasij, & aliorum, è quibus multa in Vlpianum translata esse suspicor: & ipse Vlpianus quarta Philippica, *τάδι*, inquit, *ἐν πύτοις ἀσαφῆ ὁδωσίσουσι οἱ ἔξηγηταί,* & in oratione de fœdere Alexandreo: *οὐκ ἔστιν ἀδελφόν,* inquit, *τοῖς φιλομαθέσιν, ὅτι ὡν ἀνεργώχασιν ὑπομημίτων.* eos igitur omnes commentarios cum tempus aboleuerit, & huic vni tamdiu pepercerit (etsi enim quis fuerit hic Vlpianus, quibusve temporibus vixerit, non constat: tamen eum ante aliquot secula vixisse probabile est) cogitabam, in eo vel genium, vel utilitatis aliquid inesse oportere: atque ipse, vt dixi, memineram, me ab eo admonitum, non pauca Demosthenis loca & intellexisse rectius, & diligentius peruestigasse. Quare non committendum arbitrabar, vt Græcarum literarum rudes ea utilitate penitus fraudarentur. In animo igitur erat, præteritis alijs, quæ plus verborum & obscuritatis quàm eruditionis haberent, vtilissima quæque ex eo decerpta inserere meis Annotationibus, quas in totum Demosthenem iam pridem institui, & quarta ex parte propemodum absolui: absoluturus etiam cætera, nisi fortunæ iniquitas certam ac tranquillam sedem, & necessarium ad tantum opus, propter quod plurimi tum Græci, tum Latini scriptores euoluendi erunt, ocium negaret. Sed ab hoc instituto duæ merationes depulerunt: vna, quòd iniuria fieri videbatur Vlpiano, si eius opus iam antè mutilum, magis etiam truncaretur. Quod enim ego in meis operibus &

conuersi onibus iniquissimo animo ferrem (& quis ita lenis aut focors est, quin sua scripta temerariis aliorum manibus attrectari & compilari agrè patiatur?) ab eo religiosè mihi abstinendum in aliorum etiam locubrati-  
nibus arbitrabar. Altera, quod quæ ego superuacanea censuissem, a-  
lius fortasse cum primis opportuna sibi & commoda iudicasset. Quot  
enim capita, tot sententiæ, & suam quisque opinionem putat esse optimã:  
& quam paulò antè probauit, post ipse repudiat: vt mihi cum Luciano ex-  
clamare lubinde libeat.

ὅθεν ἐν ἀνθρώποισι διακρίδον ἔστι νόμιμα  
ἀλλ' ὃ σὺ θαυμάζεις, τῶν ἑτέροισι γέλως.

Etsi enim illam Academicorum ἀκαδημαίαν non probo: infinitæ tamen do-  
ctorum & sapientum (vt perhiberi se volunt) cum ab aliis, tum à semetipsis  
dissensiones: etiam cum nihil dant ambitioni aut æmulationi: cum simpli-  
cis veritatis rationem habere se dicunt: me vehementer mouent, vt mul-  
tis in rebus agendum & pronuntiandum esse cautius existimem. Proinde  
ne studiosi Latini sermonis in hoc opere deteriore conditione essent, quàm  
Græcis literis eruditi, conuertendas etiam has Vlpiani enarrationes suscepi:  
non alia re magis fretus, quàm candore & humanitate æqui lectoris ( quis  
enim iis difficultatibus, quas supra exposui, circumuento, veniam non da-  
ret, nisi à communi etiam sensu alienus?) & assiduitate diligentia, ac in  
doctrinæ studiis, quibus me iniquum Saturni sidus exiguo cum fructu &  
voluptate alligauit, tolerantia molestiarum & laborum. Codicem igitur  
Græcum, vbi id mihi citra temeritatem, atque adeò verè posse facere vi-  
debar, partim verbis Demosthenis, ad quæ tota explicatio referenda est,  
diligenter inspectis, partim sagacibus coniecturis adhibitis, locis plus bis  
mille correxi, neque ferè pauciora incorrecta præterij, & suspecta atque  
obscura mihi, omnia stellulis signaui. Et sic primæ difficultati mederi sum  
conatus. De ipso autem artificij oratorij & Vlpianicæ doctrinæ genere,  
pro sua quisque persuasione vel probet, vel improbet, quod videbitur.  
modò illud meminerit, eum vsitatam suis temporibus rationem, quæ mul-  
tis ingeniosis & eruditis hominibus placeret, secutum, obstitisse atque in-  
uidisse nemini, qui doctius aut explicatius aliquid afferre vellet in me-  
dium. Sed hoc ad verborum interpretem eatenus duntaxat attinet, vt ne  
ocio (quo ego certè minimè abundo) abusus esse videatur: cætera ipsi au-  
tori præstanda sunt, siue is bene siue malè scripserit ac docuerit. Illud au-  
tem facere non dubitauit, vt alicubi perpetuam Vlpiani orationem, bre-  
uitatis seruandæ & molestiæ vitandæ causa, siue vlllo autoris detrimento, in-  
tersecarem, & verba Demosthenis parentheseos signo clauderem. Veluti  
cum Vlpianus habet, ἐν δὲ τῶν, ἐχ' ἐνὶ δὲ δακτύλῳ ἑὸς ὀφθαλμοῦ, σοφίζεται ὁ ῥήτωρ: ego sic feci. Non v-  
no modo dedit.) Hic captiosè agit orator. Alioqui si ἐν δὲ τῶν, voluissem exprime-  
re, dicendum fuisset. In his autem verbis, Non vno modo dedit: captiosè agit o-  
rator, quod neque dilucidius est, & prolixius, & tale, vt si paucis in ver-  
sibus læpius repetatur, fastidio lectorem enecet. Nemo igitur opinor hoc  
factum reprehendet, præsertim cum ita tractatus sit Vlpianus, vt ab enarra-  
tionibus ad annotationes, tanquam ab equis ad asinos, deuolutus esse vi-  
deatur. In artis autem vocabulis, quoniam Latinis partim profus carebam,

P R Æ F A T I O .

partim satis propria non habebam: aut Græca ipsa reliqui: aut Latinam interpretationem, non quam volui, sed quam potui, quàmque festinatio & mea & typographi passa est, adieci. Oporino enim, acerrimi iudicij viro, certis de causis, quas nec ipse improbaui, non visum est Vlpianum seorsim esse edendum: sed quoniam tam maturè ad calcem peruenissem, interpretem cum autore suo coniungendum. Maximè autem illud eum ad editionem impulit pene præproperam: quòd me longinquum iter ad ornare intelligebat: in quo (apud exteras præsertim nationes) homo valentius leui aliquo casu ita prosterni potest, vt nunquam resurgat. Maluit igitur Vlpianum qualemcunque edere, quàm tot mihi labores omnino perire, quorum fortasse lectoribus etiam aliquis vsus esse posset. Nam si spacium ac tempus detur, multa quæ mihi quoque obscura nunc sunt, declarare posse videor. Quod quia non negligentia mea, sed fortunæ culpa, me pilæ instar huc atque illuc iactantis, prætermissum est, veniam meretur. Et alioqui totum hoc Opus omnino tale est, vt cum Ouidio dicendum sit,

*En veniam pro laude peto: laudatus abundè,  
Non fastiditus si tibi lector ero.*

Vale. Basileę. Cal. Martij. Anno M. D. L.

ΟΥΛΠΙΑΝΟΥ

